

II k  
3838



OK 512 - II 74  
20



DE  
FINIBVS POENARVM  
CIVILIVM

---

PRAESIDE  
ERNESTO GODOFREDO CHRISTIANO  
KLVEGEL

PHIL. ET I. V. D. DIG. INF. ET NOVI P. P. O. CVRIAE  
PROV. ELECT. SCAB. ET ORD. ICTORVM WITTENB.  
IVDICII ITEM PROVINC. IN LVSATIAE INFER.  
MARCH. ASSESSORE ORD.

D. XXIX. IVLII A. O. R. MDCCLXXXIX

H. L. Q. C.

PVBELICE DISPVTVRVVS EST

A V C T O R  
LEONHARDVS GOTTLIEB STIEHLER  
D R E S D E N S I S.

---

WITTENBERGAE

LIBRARIIS CAROLI CHRISTIANI MÜLLERII



DE  
FINIBVS PONTIARVM  
CIVILIVM

---

PRÆSIDE  
ERNESTO GODOFREDO CHRISTIANO  
KLVGEL

PHIL. ET L. V. D. DIG. IUR. ET NOVI P. P. O. CVRIÆ  
PROV. ELECT. SCAB. ET ORD. ICTORVM WITTEMB.  
IUDICII ITEM PROVIC. IN CVRSIVS IURER.  
MARCH. ASSASSORE ORD.

D. XXIX. IULII. A. O. R. MDCCCLXXXIX  
M. L. G. C.

CAUSÆ DISCVTATVRVS. EST

A V C T O R

LEONHARDVS GOTTLEB. STIEHLER

DESSAVIA

---



ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

FRIDERICO GOTTLOB

A BERLEPSCH

DYNASTAE HENINGSLEBENII ET LEISLAVII

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE

INTIMAE ET SANCTIORIS ADMISSIONIS

ADMINISTRO COMITIQVE CONSISTO-

RIANO

R E L I Q V.

HVNCCE LIBELLVM

SVMMA GRATI ANIMI PIETATE VENERABVNDVS

D. D. D.

IMA PARENDI LEGE CLIENS

A V C T O R.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

FRIDERICO GOTTLIBO

A BERLINSCH

DYNASTAE HENINGSLIBERII ET LEISLAVII

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE

INTIMAE ET SANCTIORIS ADMISSIONIS

ADMINISTRO COMMITQVE CONSISTO-

RIANO

R E L I Q V

HANCQE LIBELLVM

SVMMA GRATI ANIMI FIRMITATE VENERAVNDVS

D. D. D.

IMA PARRNDI LEGE CLIENTE

A V C T O R



EXCELLENTISSIME  
ILLVSTRISSEMEQVE DOMINE,  
DOMINE INDVLGENTISSIME!

**E**st haec secunda fors omnium, quibus, cum TVARVM virtutum splendorem, tum maximum TVVM in litteras amorem, admirari licuit, vt non munificentiae modo TVAE, supra communem consuetudinem euectae, participes fiant, verum etiam vitam suam TVO splendidissimo ductu, non exiguo cum felicitatis sensu degant. Contigit et mihi, cum aliquod bonarum litterarum atque doctrinarum in me animaduerteres studium, vt in numerum eorum me reciperes, de quibus conseruandis iuuandis et ornandis, qui laborares, non indignum TIBI videbatur, quorumque erga TE pietatem nec innumerabilis annorum series, nec fuga temporum, diruet.

Itaque ausus sum hoc primum, quo studiorum meorum rationem reddere potui, specimen TIBI, DOMINE INDVLGENTISSIME, dicare, qui TVIS in me collatis bene-

*beneficiis, huius libelli causa ratioque fuisti, exemplumque prodidisti, principi atque reipublicae, dignitatibus sibi concessis probe utendo, recte consulendi.*

*Si benignissimum, quod res a viris patriae amantibus praeclare gestas remuneratur, numen, precibus eorum, qui salutem atque incolumitatem suam TVAE debent beneficentiae, mouetur, nullum est felicitatis genus, quod vitae TVAE deesse possit beatae, nulla de sepulta atque celata virtute bene merendi occasio, nullus e diuina hac munificentia voluptatem percipiendi sensus.*

*Ego autem, ne eam, quae cultores TVOS ornare debet, cogitandi atque sentiendi rationem unquam TIBI deseruisse videar, ita operam nauabo, uti maximum adhuc industriae meae in illustri TVO iudicio praemium posui.*


**DOMINE INDVLGENTISSIME**

**EXCELLENTIAE TVAE**

*deuotissimus*

**LEONHARDVS GOTTLIEB STIEHLER.**





I.

**S**apientissimum numen, quod omnia, quae ratione gaudent, condidit animalia, regulas quasdam constituit, nullis vicissitudinibus atque mutationibus obnoxias, quae, prout vitam ad eas vel dirigunt homines, vel ab eis aberrant, ita eos vel meliores, vel deteriores reddere debent. Ipsam enim, quae his legibus conuenienter fit, actionem sequuntur bona quaedam, quae non solum eorum, qui facti auctores sunt, commodis vtilitatieque seruiant, verum etiam ad aliorum, quin totius humani generis, redundant fructum. Qua sapienti quoque necessitatis lege, omne contra has normas susceptum facinus consecutionem affert malorum, e ratione, quam diuina haec iura ad naturam agentium habent, pendentium; nec damnum inde oriens soli faciunt peccantes, verum



verum etiam alii quos cum his vinculum aliquod iungit. Idem totius vniuersi auctor aeternus, cum omnibus hominibus hoc tribuat, vt se vitamque suam tueantur, vt libere cogitent, vt sine laesione aliorum libere agant, omnibusque, quibus possint, rebus creatis vtantur fruantur, eisdem potestatem dedit cogendi eos, a quibus iniuria afficiantur, ingenuoue virium animi corporisue vsu, aliisque iuribus natura sibi competentibus priuentur, vt damnata culpa sua datum restituant, nouisque se abstinant laesionibus. Quod si homines, ratione, pro cuiusque natura animique facultatibus, conformata praediti, singuli vel parum coniuncti, vitam degerent simplicem, si deprauatio consuetudinum, si opinionum vanitas non imbecillitatem animorum torqueret, si necessitatum, quibus ad vitae cultum in societatis atque coniunctionibus maioribus opus est, ignari, nullius voluntati parerent superioris: leges quas Deus humano generi dedit, nulla egerent mortalium finitione voluntaria. Quorum in obsequia, vt quisque maxime esset formatus, ita felicissimus omnium praedicandus. Nunc, quoniam homines iura atque officia, quae natura eis attribuit, ne cognoscunt quidem, eisque animi impetu atque voluptatis cupiditate accensi, haud raro perperam vtuntur, quoniam societate coniuncti, licet singulis tantum rationis lumen sit atque acumen, quantum mentis humanae dotium varietas capere possit, propter diuersum omnium sentiendi cogitandique modum, neque eundem finem sibi proponere, neque eadem remedia eligere possunt, quoniam denique, ciuitatis membra iura quaedam superiori concedant, necesse est, quibus demtis princeps esse desinit; perspicuum fit illud, regulas has latius exponi, vel, ratione temporum, limitibus circumscribi, atque leges voluntarias ferri debere, \*) quae,

vt

\*) Audiamus, quae de his praeclare sentit Plato: „Necesse est, inquit, leges hominibus ponere, vt secundum leges viuant. nam si absque



vt regulis a Deo per sanam rationem propositis, maxime conueniunt, ita praestantissimae iure meritoque vocantur. Sed iura haec arbitraria cum affectibus effrenatis, cum ambitione praefertim pestifera, cum animo leui atque commodis fictis ciuium pugnare, quotidie experientia nos docet. Itaque, ne inanes fundantur per aera vacuum soni, legislator, cum eorum custodia bona, siue mercedem connectere, atque ab eorum violatione ciues malis, leges violaturo metuendis, detertere, siue legibus obediens praemiis ornare, easque migrantes poenis afficere debet. In vtroque genere recentioribus temporibus principes nonnunquam peccauere; neque enim, proh dolor!

prae-

absque his viuerent, nihilo a feris discreparent, cuius rei causa est, quia nullius hominis ingenium ita natura institutum est, vt, quae ad publicum humanae vitae bonum conferunt, sufficienter cognoscat, et si cognouit, vt optimum id, quod nouit, semper agere possit ac velit. — Profecto, si quis hominum, diuinae fortis fauore, ea natura praeditus esset, vt cognosceret publicum bonum, ad idque generose ac semper intenderet, nullis legibus, sibi dominaturis, egeret: quoniam nulla lex, nullus ordo, scientia melior praestantiorque habetur; nec fas est, mentem alicui subiici atque seruire; sed potius, si ita vera liberaque sit, omnibus dominari. nunc vero nusquam haec reperitur, sed minimum quid ipsius apparet. “ De Legg. L. IX. p. 47 — 48. ex vers. Biont. Cui merito iungendus locus ille Ciceronis: „Constat profecto ad salutem ciuium, ciuitatumque incolumitatem, inuentas esse leges: eosque, qui primum eiusmodi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturus, quibus illi adscriptis susceptisque honeste beateque viuerent. “ De Legg. II. c. 5. Conferatur quoque:

Pufendorf. de Iure Nat. et Gent. L. VIII. c. III. §. 6

B



praemiis ingenia ciuium ad praeclara quaecunque excitarunt, <sup>b)</sup> nec iusta ad coercendam eorum lasciuiam remedia adhibuerunt. Poenae enim, de quibus iam verba facere constituimus, saepissime tantopere saluti reipublicae, ne dicam communi hominum sentiendi rationi repugnarunt, vt malum, e criminibus ortum, auerent, non minuerent. Itaque non inutilis esse videtur quaestio: qui sint poenarum ciuiliu fines, cui pertractandae omnem operam nauabimus.

## II.

Iustitia puniens nititur iure defensionis, quo ciuitas vtitur in eos, qui eius salutem euertunt, poenaeque ciuiles sunt mala, quibus ciuitas sanctionem <sup>c)</sup> aliquam dolo violantes afficit. Quibus notionibus propositis, videamus, quos ciuitas sibi constituere debeat, in poenarum applicatione, fines, e quibus solis

- <sup>b)</sup> Nouissimis tandem temporibus principum liberalitas ad Graecorum atque Romanorum mores redire coepit, quorum, in remunerando literarum, agriculturae, commerciorum, legumque custodiendarum studio memoria dignissimus est Fridericus Augustus, Pater patriae munificentissimus.
- <sup>c)</sup> Quam poenae notionem satis illustrat locus ille Quistorpii: Ein Verbrechen sehet, vermöge seines Begriffs zum voraus, daß ein Gesetz vorhanden sey, welches auf dasselbe eine Strafe sehet. Fehlet daher ein solches, so kann auch kein Verbrechen gedacht werden, wenn auch gleich Jemand sich vorgenommen hätte, Verbrechen zu begehen, und wenn auch die Handlung in andern Staaten, unter den härtesten Strafen, verboten wäre. — in den Grundsätzen des peinl. Rechts §. 32. Quod si enim delictum sine sanctione cogitari non potest, facinus, contra legem, nullam poenam comminantem, susceptum, impune esse debet. Cf. quoque: Pufendorf, de I, N, et G. L. VIII. c. III. §. 7.



Nulla ratio, quae in quocunque delicto puniendo seruanda sit, etsi non accurate definiri, tamen quodammodo demonstrari poterit; sapiens enim legislator, in sancendis legibus, regionis suae situi atque ambitui, gentis ingenio et moribus, reipublicae denique formae atque constitutioni, plus tribuet. Itaque, cum ciuitas societas sit hominum, qui, ad mutuam omnium tranquillitatem ac securitatem obtinendam, aliaque commoda externa consequenda, sub vna se coniunxerunt summa potestate, cum omnia, quae gerenda suscipit atque perficit, hanc salutem omnium respiciant: vsus poenarum, vt eidem reipublicae consulat bono, necesse est. Omnia igitur, quae reipublica consulto infligit maleficis physica mala, omnesque, quas hi accipiunt, voluntariae iniuriae, summum habent finem: „vt minimo, quod ciuitas cum delicti auctore sentit, detrimento, maxima afferatur et legum auctoritas, et quae ex ea pendet, publica salus.“<sup>4)</sup> Quem quidem finem poenarum vltimum ciuitas variis, qui fines earum intermedios constituunt, attingere potest modis; si scilicet ciues suos a criminibus deterret, si maleficos potestate, noua patrandi facinora, priuat, si corrigendos per mala illata corrigit, si laedentes denique vltioni ac potestati priuatae laeforum eripit. Quibus e quatuor locis primum finem poenarum intermedium primarium, reliquos fines earum secundarios nuncuparem.

## III.

Si causas quaerimus, quamobrem crimina atque delicta plerumque a ciuibus patrentur, experientia nos docet, homines ex sola malitia, et sine vlla commodi veri fictive acquirendi, vel

B 2

<sup>4)</sup> Idem videtur statuisse Pufendorf. de I. N. et G. L. VIII, c. III. S. 9.



mali auertendi spe, raro ad peccata committenda moueri, sed affectionibus gratificandi, flatum externum meliorem reddendi, vel turpitudinem effugiendi causa ad malefaciendum fere semper impelli. Si igitur legum auctoritas feruari debet, maleficus non solum mala sunt comminanda, commodis obtinendis adeo paria, vt eis tollatur commodum illud atque euanescat, verum etiam haec mala ita sunt definienda, vt maximam bonum optatum obrinendi fiduciam, certissimamque iudicis notitiam effugiendi, eum circumueniendi, poenamque euitandi spem superent, ciuesque ita a flagitiis deterreant. Quae quidem de poenis in exemplum infligendis opinio praeclarissimorum ingeniorum consensu ita est approbata, vt omnibus fere temporibus inueniri possint homines docti, qui in hanc iuerint sententiam; quorumque inter veteres Platonem, <sup>e)</sup> Ciceronem <sup>f)</sup> et Senecam, <sup>g)</sup> inter recentiores Hobbesium, <sup>h)</sup> Segnerum, <sup>i)</sup> Michaelem <sup>k)</sup> et Quistorpium <sup>l)</sup> nominare fas sit. Nec tamen inmanibus cruciatibus supplicisque atrocissimis opus est, vt primus hic poenarum finis obtineatur, ciuesque criminibus se abstineant, sed, cum iam ratione, religione, educatione, ingenio natura sua bono, saepe gloria atque misericordia, aliisque qualitatibus

<sup>e)</sup> de Legg. L. XI. p. 165. Edit. Bipont.

<sup>f)</sup> de Officiis L. I. c. 11.

<sup>g)</sup> de Ira L. I. c. 6. et L. II. c. 31.

<sup>h)</sup> Leniathan. c. 28.

<sup>i)</sup> in oratione quam habuit, cum dignitatem Professoris susciperet, Göttingae 1749. Inserta est a Michaële Praefationi ad Tom. VI. Iuris Mosaiici p. 13 seqq.

<sup>k)</sup> in der Vorrede zum VIten Bande des Mosaischen Rechts, p. 12. seqq.

<sup>l)</sup> in den Grundsätzen des peinl. Rechts. §. 71. und 74.

litatibus atque virtutibus, quarum vna saltem cuius fere maleficorum conuenit, a criminibus arceantur, plerumque poenae leuiores, quin malorum imagines <sup>m)</sup> huic consilio sufficiunt, quae, vt formidinem mouent maximam, ita caeteris poenis merito praeferrī debent. Hoc vero necesse est ad legum auctoritatem seruandam, vt sapiens constantia, et decora seueritas in animaduertendis adhibeatur delictis, et vt poena, siue magna sit, siue parua, delictique auctor primus, vel infimus reipublicae ciuis, semper sequatur delictum commissum. <sup>n)</sup> Quid enim proficient nudaee malorum comminationes, ni semper feriet, quodcumque minabitur, arcus? quo tandem nomine dignus erit princeps, qui, si quindecim subiectorum suorum eiusdem rei sunt criminis, decem impunes esse aut arbitraria puniri poena, reliquos legitima coerceri vult? <sup>o)</sup> Dicent illum tyrannum iniustumque ciuitatis suae moderatorem, qui legibus conuenienter animaduertere debuerit, nec immerito, quod reliquis maleficis, imprudenti sua elementia, spem faciebat, fore, vt eodem erga eos temperamento, eademque lenitate vtatur, et quod, cum vim exemplorum eis eriperet, ipse illis auctor flagitiorum fiebat. Nam

## E 3

Bonis

- <sup>m)</sup> Michaelis l. c. et Segnerus l. c. qui de hac poenarum forma tam praeclare sentit, vt ipsum audire iuuet: neque mala, ait, quae in sola opinione consistunt, penitus seponenda sunt; quippe quae, etsi rempublicam per se non laedunt, difficilius tamen saepe, quam vere quae mala sunt, a ciuibus feruntur, neque crudelitatis maculam, qua vix vlla res magistratibus magis vitanda est, illis aspergunt.
- <sup>n)</sup> Beccaria von Verbrechen und Strafen §. 27. nec non: Püttmann in Element. Iur. Crim. L. I. c. 11. §. 61. et Iselin in den Träumen eines Menschenfreundes, Cap. vom Richteramt, p. 158.



Bonis nocet, quisquis pepercit, malis. *Inuitat culpam, qui peccatum praeterit.*<sup>o)</sup>  
 Ut taceam, exempla iam natura sua magnam in mentem nostram  
 habere potestatem, praecipuamque in nos exferere vim ea,  
 quae exitiosa, horrida, turpia, tristia, alijs e quacunque causa  
 accidere viderimus, ita, vt per coniunctionem idearum, quo-  
 tiescunque eandem causam adesse cognoscimus, easdem calami-  
 tates quoque expectemus atque metuamus. Quibus propositis  
 perspicuum fit, nulla remedia ciuitatem contra laesiones secu-  
 ritatis publicae tuendi tantum efficere, quantum exempla poe-  
 narum, quibus ciues, vt delicta fugiant, mouentur, quae, ob  
 insignem suam vtilitatem, et quoniam in quocunque animad-  
 uersionum genere facile adesse possunt, finem poenarum pri-  
 marium merito constituunt.

#### IV.

Alius poenarum finis est, vt malefici facultate priuentur,  
 salutem reipublicae nouis euertendi criminibus, in quo consti-  
 tuendo inter veteres Plato<sup>p)</sup> et Cicero,<sup>q)</sup> inter recentiores  
 Grotius,<sup>r)</sup> Pufendorfius,<sup>s)</sup> Beccaria,<sup>t)</sup> Michaelis<sup>u)</sup> et Schal-  
 lius

o) P. Syn. v. 101. et 372. Cf. et Holin l. c. p. 159.

p) de Legg. L. IX. p. 22.

q) de Officijs. L. III. c. 5.

r) de Iure Bel. et Pac. L. II. c. XX. §. 9.

s) de I. N. et G. L. VIII. c. III. §. 9. et 11.

t) von Verbrechen und Strafen. §. 12.

u) in der Vorrede zum Viten Theil des Mos. Rechts, p. 68 seqq.



lius \*) mire consentiunt. Negandum enim non est, homines multos esse sceleratissimos, adeoque malitiosos et effrenatos, ut poenis, quibus ullam viribus suis utendi potestatem, libertatemque recuperandi viam relictam habeant, hostes crudeliores, perniciosiores, detestabiliores, ideoque magis metuendi, fiant ciuitatis. Tales communes reipublicae pestes, quondam Romae Catilinam, et Francogalliae Chastelium et Ravillacum fuisse legimus, tales Horjam et Klozkam Hungariae se praeuisse ipsi cognouimus, eiusdemque generis omnes fere esse perditelles, criminis maiestatis reos, veneficos, incendiarios, latrones, ficiarios, eosque, qui, ob crimen atrox saepius puniti, nulla corriguntur coercitione, statuimus. Itaque reipublica, si ab eorum laesionibus suos ciues tueri vult, huic maleficorum sentinae, omnem vim, omniaque remedia, quibus in posterum nocere possint, eripere, eosque, si quid opus est, plane e medio tollere debet. Cum enim in statu naturae absoluto cuique liceat, aduersus eum, qui infidiis, quas vitae suae struxit, iustam animi sui infensi mouerit suspicionem, vitam suam defendere, eum priorem aggredi, et, quocumque modo, quin eum interficiendo, periculum sibi imminens depellere; \*\*) toti quoque societati, in quam singula membra hoc ius transfudere, ad securitatem et salutem suam melius obtinendam, e voluntatum conjunctione omnium ciuium idem ius competere debet, salutem suam

\*) von Verbrechen und Strafen, qui rem bene illustravit fabula aliqua, ut in scripta: das zweyte Halsgericht der Kinder der Natur. p. 122. in seqq. in not.

\*\*) En aptum, quod a simili ducit argumentum, Philo Iudaeus, de specialibus legibus. 1. p. 793. A. B. laudatus a Coccejo ad Grot. T. H. p. 486. n. 4) „Sicut ergo viperas et scorpiones, et quae alia veneno nocent, priusquam aut mordeant, aut vllum in nos impetum faciant, statim sine mora occidimus, praecauentes, ne quid patia-



suam aduersus iniurias, ab hominibus flagitiosissimis sibi metuendus, tutandi. Quae tamen defensio non semper interuentionem delinquentium exigit; saepe enim alio ipsis praesidio nocendi potestas adimi potest, saepe vero supplicii, quod sapiens legislator optime definire poterit, opus erit.

Dignitas humanae tamen naturae efficit, ut minorem eorum, qui delinquant, numerum aequae ferum atque immanis inuenias, atque illum, de quo iam verba fecimus, generis humani globum. Multa enim sunt peccata, quae ex affectibus nascuntur, quos seria meditatione et deliberatione vincere poteris atque opprimere. Iam, cum ciuitas, minimo, quo ipsa peccatique auctor sentiat, detrimento, legum curare debeat auctoritatem, hoc inprimis spectet, necesse est, ut ea eligat remedia, quae peccantem turpitudinis facinoris perpetrati, malique, quod ex eo est ortum, conuincant, quae ad sanos mores eum reducant, legumque ut custodiam amet, faciant; hoc est, ut delinquentem meliorem reddat, poenisque aptis cogat, ut ipse a delictis nouis committendis absteat, ciuisque bonus societatique utilis euadat. Sic inprimis sentit Ictus Paulus,<sup>a)</sup> Seneca,<sup>b)</sup> Gronovius,

patiamur mali ab ea, quae in ipsis est, malignitate; eundem ad modum et homines puniri par est, qui naturam nacli mansuetam, propter fontem rationis, quae ad societatem trahit, institutis in ferarum saeuitiam transeant, utilitatis ac voluptati habent nocere, quam possint, plurimis.

<sup>a)</sup> v. supra §. II.

<sup>b)</sup> L. 20. D. de poenis.

<sup>c)</sup> de clement. L. I. c. 22. et de Ira L. I. c. 4. et II. c. 27.



tius, <sup>c)</sup> Pufendorffius, <sup>d)</sup> Helinus, <sup>e)</sup> Quistorpius, <sup>f)</sup> et Püttmannus, <sup>g)</sup> insignis acuminis ac prudentiae viri. Quod quidem poenarum genus, vti sua natura honestum, nobile atque beneficum existimandum, ita salutis reipublicae maxime est accommodatum. Quae enim in omnibus reliquis poenarum generibus in detrimentum et societati et malefici emergunt mala, in illo vtriusque augent felicitatem. Reliquas enim poenas id efficere vides, vt societas membrum aliquod vel amittat, vel eius opera ad salutem omnium vti nequeat, et vt maleficum ipsum, vel vita, vel iucunditatibus atque amoenitatibus vitae, caeterisque vtilitatibus priuent; hae vero et reipublicae ciuem conseruant bonum, et facinoris reum ad bonam frugem reuocant. Bonus igitur nominandus est princeps, qui hoc sibi propositum et solemne habet, vt hac vtatur, vbicumque poterit, puniendi ratione, qui non iustum solum atque metuendum se praebet ciuium suorum gubernatorem, verum etiam patrem, liberos suos leniter corrigentem, quamuis hac sola clementia raro possit vti. Maleficorum enim malitia, ingens, quod cum eorum emendatione coniunctum est, periculum, iusta, nuni opera, eis corrigendis data, emolumentum allatura sit nec ne, dubitatio, magni et graues, qui eo consilio erogari debent sumtus, ipsa denique, quae ad hunc finem assequendum ineunda sit ratio, ambiguitas,

c) de I. B. et P. L. II. c. XX. §. 7.

d) de I. N. et G. L. VIII. c. III. §. 9.

e) in den Träumen eines Menschenfreundes, C. von den Gesetzen, p. 128. in der Note <sup>u)</sup> p. 140.

f) in den Grundsätzen des peinl. Rechts. §. 71.

g) in El. I. C. §. 60.



biguitas, <sup>b)</sup> hunc poenarum locum, etiamsi delinquentium correctio satis per se est expetenda, etiamsi optimi saepe patriae suae ciues, et eximiae humanitatis viri, aptissimum atque iucundissimum illum opinantur, applicatu difficillimum reddunt. Quam quidem peccantium emendationem summum sibi reseruasse videtur numen, quod, vti suas praestantiores humanis reddidit poenas, ita difficilem atque imparem mortalium imbecillitati illarum permisit imitationem.

## VI.

Postremus denique finis, cur punire debeat ciuitas, in eo positus est, vt laedentem poenis arbitrariis liberet laesi, quas ille luat, si huic potestas puniendi fuerit relicta. Cui sententiae inprimis fauent Imperatores Honorius et Theodosius, <sup>i)</sup> Maximus Tyrius, <sup>k)</sup> Quinctilianus, <sup>l)</sup> Grotius, <sup>m)</sup> Cocceii, <sup>n)</sup> et Püttmannus. <sup>o)</sup> Experientia satis constat, hoc omnibus natura esse insitum, vt se suosque ab aliorum laesionibus tueantur, hanc naturae affectionem animi commotionibus deprauatam, saepe in cupiditatem, malum, vi iniusta illatum, malo, quo possit, acerbissimo compensandi, degenerare, hanc denique cupiditatem,

<sup>a)</sup> Conferantur quae de his egregie dicit Michaelis in der Vorrede zum Viten Theile des Mos. Rechts p. 94—103.

<sup>i)</sup> L. 14. C. de Iudaeis.

<sup>k)</sup> Dissert. II. p. 22. Ed. Dauis.

<sup>l)</sup> Decl. 13.

<sup>m)</sup> L. II. C. XX. §. 8. num. 4.

<sup>n)</sup> ad locum Grotii memoratum, n. 88)

<sup>o)</sup> in Elem. I. C. §. 65.

tem, pro diuersis educationis, ingenii, religionis, rationisque gradibus, mox augeri, mox minui. Cui gratificandi licentia, si vnicuique esset concessa, poenarum inde oriretur intemperantia priuatarum, centiceps monstrum, quod non solum innocentes, in coecam suspicionem vocatos, deuorare, verum etiam nocentes, malis, iustam in delictis puniendis mensuram sextentis excedentibus, subiicere solet. At haec non sufficiunt. Primus enim, qui nos est aggressus, et poenam iusto duriores se luere sentit, satisfactionem iniuriae, sibi iam illatae, exigit, eodemque odio flagrans, pariter iustum non obseruat modum; idem nouis læcessitur iniuriis, et, vtraque parte extincta, liberi defunctorum atque nepotes, in aris, manibus patriis sacratiss, eruentam se paraturos iurant iniuriae acceptae vltionem. Etenim

*Irata si uxor coniugem occidet suum,  
Hanc ultor ipse filius tradet neci,  
Et rursus illo genitus, hanc caedem noua  
Caede expiabit, sine quo stabunt mala? <sup>1)</sup>*

Sic vnum crimen seriem criminum per multos propagare potest annos, si quilibet laesus iniuriae sibi datae ipse sumit poenam. Quod si iam respublica minimo, quod ciuitas cum delicti auctore sentit, detrimento, maximam et legum et reipublicae salutis curare debet custodiam, <sup>2)</sup> quod si animaduersio priuata, ab laesis exercita, vtramque tollit, quod si denique quilibet laedens postulare potest, ne acerbiores poenas det eis, quas leges definiunt, poenarum quoque finis sit necesse est, vt laedens a poena laesi liberetur arbitraria.

C 2

VII.

<sup>1)</sup> Euripides in Oreste v. 507. — 10.

<sup>2)</sup> v. supra §. II.



## VII.

Reliquum est, vt de quibusdam poenarum finibus fictis atque commentitiis agatur, quos aliqui homines docti stabilire voluerunt. Fuerunt enim, qui dicerent, omnes poenas eo tendere, vt malum a delinquente commissum malo compensetur, adeoque vindicta ab illo sumatur, iure aliquo vltionis nisi, quod cuique læso a natura sit tributum, et ab illo in ciuitatem translatum.<sup>\*)</sup> Sed modo reputaueris, hoc pronuntiatum esse petitionem principii, quod nemo a natura ius vindictae sumendae, quae potius deprauatio atque immoderatio iuris defensionis est nominanda, accepit, ideoque in societatem afferri non potuit, quod haec, etiamsi quaedam membrorum suorum vltionem poscunt, hanc perturbationum animi deprauationem alere nunquam debet,<sup>\*)</sup> statim apparebit, eorum sententiam esse reiiciendam.

*Quippe*

- \*) Huc imprimis pertinet Michaelis, in Praef. ad T. Vitum I. M. pag. 81 — 88. qui vltionem et ius defensionis inter se commutauit.
- \*) Sic iudicauit Schall von Verbrechen und Strafen, p. 115 — 117. in nota; vbi ait: „Ueberhaupt begreife ich gar nicht, wie der durchaus falsche Begriff eines Rechts der Rache hat in das Naturrecht kommen können. Denn entweder hat Christus sehr unrecht, wenn er sagt: Vergebet, so wird euch vergeben: oder es ist offenbar, daß derjenige Philosoph sich sehr unschicklich ausgedrückt hat, der zuerst ein natürliches Recht der Rache erdacht hat; indem dasjenige unmöglich Bedingung zur Seeligkeit seyn könnte, wovon das entgegengesetzte Extremum natürliches Recht wäre, und umgekehrt. cet. Conferatur etiam, quae egregie ait: p. 65. in nota,



— — — Quippe minuti

*Semper et infirmi est animi, exiguique voluptas*

*Vltio: continuo sic collige, quod vindicta*

*Nemo magis gaudet, quam femina.')*

Cui accedit, eam omnino ciuitatem, quae mala infligit, quia mala sunt commissa, quae damnum physicum auget, nec morale minuit, quae dolori, quem sensit, iniuria accepta, laesus, et damno, quod cepit laedens, per facinus suum in deterius mutatus, poenam addit exitiosam huic, et inutilem sibi, ita vt duorum malorum loco, quatuor existant, omnem in puniendo repudiare sanam rationem. In iisdem poenarum finibus minus laudandis numeranda quoque vindictio honoris diuini, quem nonnulli hominum doctorum constituendis poenis augere voluerunt. Putarunt enim, crimina ideo esse punienda, quod voluntati diuinae aduersentur, ideoque honor summi numinis obscuretur, cuius tamen celebratio ciuitati inprimis incumbat. Cum vero Deus non omne solum delictum poenis afficiat naturalibus, verum etiam plenissimam, mala arbitraria infligendi, habeat potestatem, praetereaue nemo hominum tales eligere possit poenas, quales ipse ratione perfectionum suarum feligit, satis patet, eum, qui eo punire velit proposito,

C 3

iura

\*) Iuuenalis, Sat. XIII. v. 189. seqq. Quibuscum iungas: Senec. de ira L. II. c. 32. et L. III. c. 5. Maximum Tyrium Diss. II. p. 24. 26. Edit. Dauis. Grotium, L. II. c. XX. §. 5.



fura sibi sumere impudenter, quae nemo, nisi diuina maiestas, exercere potest. \*)

### VIII.

Quibus praemunitis, satis apparet, quales eligendae vel reiciendae sint poenae. Quibus enim hos, quos constituimus, fines maxime consentaneos videbit respublica, eis salutem atque felicitatem suam optime augebit, adeoque, quamuis, vt supra dictum est, \*) maleficorum emendationem non semper procuret, reliquos in certo poenarum genere facile conciliabit fines. Neque si rerum naturam atque temporum rationes respicis, hunc locum ab saeculi nostri legislatoribus plane neglectum inuenies. Nam, etiamsi, quae in delictis versantur leges, non omnibus sint numeris absolutae, magnaue adhuc indigeant lima, ope tamen luminis, quod crepusculum suum in posteriorem saeculi nostri fundebat partem, aliquis iustitiae atque humanitatis sensus legum auctores mouit, vt eas, quae Ius criminale deformabant, crudelitatis atque immanitatis reliquias dele-re, poenisque, cum finibus allatis conuenientibus, felicitatem omnium procurare studerent. Sic se gerendo, spem fecerunt, fore, vt humanum genus malis olim liberetur inutilibus, quorum exstirpationem multi optant futuram, plures temere admiran-  
rantur

\*) cf. Beccaria von Verbrechen und Strafen §. 7. et quae ibi praeclara Illustris Hommelius dixit, n. 1)

\*) §. V.





rantur perfectam. Cui legum frugiferatum ferendarum curae, inprimis se dediderunt Austriae, Russiae, Borussiae et Hetruriae principes, quamuis eis non semper furorem maleficorum reprimi potuisse, tempora ostenderint. Sic, vt vno tantum exemplo vtar, Imperatorem Inuict. leges suas, quae nimiam spirabant clementiam, paullo exasperare, et supplicia, quae plane abroganda putarat, in medium reuocare vidimus. Nec Saxoniae nostrae, sub sapientissimo Patris Patriae sui Clementissimi regimine, in tollendis, quae in puniendis criminibus versabantur, corruptelis, industria defuit. Vti enim optimus Princeps salutem ciuium seueris legibus consulit, ita e contrario poenas, quae commodis publicis non satis congruunt, tollere studet. Hinc fustigatio et relegatio, qua nullus poenarum finis, nulla ciuitatis salus obtinetur, \*) penitus sublata est, \*) vt taceam alias,

\*) cf. Krausoldi Diss. de miraculis et egregiis vsibus S. Raspini. Martisburgi 1698. et Michaelis in der Vorrede zum VIten Theile des Mosaischen Rechts. S. 73. Püttmann. in Elem. I. C. S. 74.

\*) Sic enim sancit Generale d. d. 30. April. 1783, die Verwandlung der Landesverweisung in Geldbußen betreff. princ. verbis: Wir haben, in Erwägung, daß durch die auf gewisse Verbrechen geordnete Strafen der Landesverweisung, mit oder ohne Staupenschläge, die hierunter auf die Sicherung des gemeinen Wohls zu richtende Absicht nicht erreicht, vielmehr dasselbe dadurch, daß die Verbrechere aus einem Lande in das andere gewiesen worden, mancherley nachtheilige Folgen ausgesetzet worden, Uns vor einiger Zeit bewogen gefun-

QK TK 3838



alias, quibus omnes boni Saxoniae laetantur ciues, sanctionum correctiones. Quibus custodiendis, si aequè operam dederint moderatores ac subiecti, nec legibus punientibus nostri nepotes crebro iudicabuntur, nec alium, nisi peccantium emendationem, finem poenarum intermedium primarium eorum rectores constituent.

gefunden, die Dicasteria Unserer Lande, auf solche Strafen nicht weiter, sondern statt derselben, auf verhältnißmäßige Zuchthaus- und resp. Gefängnißstrafen zu erkennen, anweisen zu lassen.




X 238 0196

nc







DE  
FINIBVS POENARVM  
CIVILIVM

PRAESIDE  
ERNESTO GODOFREDO CHRISTIANO  
KLVEGEL

PHIL. ET L. V. D. DIG. INF. ET NOVI P. P. O. CVRIAE  
PROV. ELECT. SCAB. ET ORD. ICTORVM WITTENB.  
IVDICII ITEM PROVINC. IN LVSATIAE INFER.  
MARCH. ASSESSORE ORD.

D. XXIX. IVLII A. O. R. MDCCLXXXIX

H. L. Q. C.

PVBELICE DISPVATVRVS EST

A V C T O R

LEONHARDVS GOTTLIEB STIEHLER

D R E S D E N S I S.

WITTENBERGAE



LIBRARIIS CAROLI CHRISTIANI BÜRRI

